



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXXXII. Vtrum peccatum Angeli fuerit superbia, an alterius
naturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

militudinem Dei debito ordine appetat adipisci, ut scilicet eam à Deo habeat. Si quis autem appeteret secundum iustitiam esse similis Deo quasi propria virtute, & non ex virtute Dei, peccaret. Alio vero modo potest aliquis appetere similis esse Deo quantum ad hoc in quo non natus est assimilari: sicut si quis appeteret creare celum & terram, quod est proprium Dei, in quo appetitu esset peccatum. Et hoc modo diabolus appetijt esse ut Deus, non ut ei assimilaretur quantum ad hoc quod est nulli subesse simpliciter: quia si suum non esse appeteret, cum nulla creatura esse possit, nisi per hoc quod sub Deo esse participat. Sed in hoc appetijt indebite esse similis Deo, quia appetijt ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suae naturae poterat peruenire: auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. Vel si appetijt ut ultimum finem illum Dei similitudinem, quae datur est ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex diuino auxilio secundum Dei dispositionem. Et hoc consonat dictis Anselmi, qui dicit quod appetijt illud ad quod peruenisset, si sterisset. Et haec duo quodammodo in idem redeunt: quia secundum utrumque appetijt finale beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei: quia vero quod est per se, est principium & causa eius quod est per aliud: ex hoc etiam consequutum est quod appetijt aliquem principatum super alia habere in quo etiam peruerse voluit Deo assimilari.

Et per hoc patet responso ad omnia obiecta.

PRIOR conclusio est: Angelus non appetijt esse Deus per naturam. Posterior conclusio, Angelus peccauit appetendo esse similis Deo aliquaratione excellens modum propriae excellentiae, & perfectionis. Circa quam doctrinam plures nobis controuersiae disputandae sunt.

DISPUT. CCXXXII.

Utrum peccatum Angeli fuerit superbi-
an alterius naturae.

Quid Scotus & Gabriel senserint. cap. 1.

Sententia Scoti & Gabrielis impugnatur. cap. 2.

Primum Angeli peccatum fuisse superbiam, vera & communis Patrum, & Scholasticorum opinio fertur. cap. 3.

Expenduntur quadam Scripturae testimonia pro eadem sententia. cap. 4.

Multa quidem eaque difficilia de peccato primo Angelorum à Doctoribus scripta legimus. Nec mirum est, rema sensibus, & humana ratione longè remotam, difficilem ad intelligendum semper fuisse. Verum quia tractatio de hac omnino declinare instituti nostri ratio non patitur: quoad eius fieri poterit dabimus operam, ut peccatum Angelorum inquirentes, nihil tanquam certum affirmemus, nisi quod aut ex Scriptura, aut ex doctrina Patrum, aut certa ratione colligi queat: ubi autem aliquo ex his fundamentis nostra disputatio niti non possit, nihil temere sola humana coniectura ducti asseremus. Satis enim est requiritatem ingenij in re quacunque, nedum in abscondita, ingenue profiteri, quam aliquid temere pronuntiare: cumque circa ea, quae ipsa in peccato angelorum contigerunt, sola ratio absque autoritate nihil valeat ratione quidem solum vremur ad ostendendum, quo pacto angelus peccare potuit, de qua etiam re non parua inter Scholasticos dissensio est, & in ea ratio ipsa plurimum valet. Primum autem in vniuersum inuestigandum nobis est genus peccati, quo Angelus cecidit. Deinde speciatim inquirendum, quid sit illud, circa quod Angelus deliquit.

In praesenti autem controuersia, in qua genus peccati Angelorum vniuersè inuestigamus, non fuit Scholasticorum omnium vna sententia. Prima opinio fuit Scoti in 2. distinctione 6. questione 2. Scotus. §. Quantum ad secundum, & in §. Ad argumenta, in solutione 1. qui affirmat peccatum Angelorum non fuisse superbiam, quae constituitur proprium peccatum: sed luxuriam, non, sicut aliqui Patres quos retulimus supra disputatione 178. capite 2. dixerunt existimantes, Angelos in alias hominum exarisse, & ex illis genuisse Gigantes, (haec enim sententia ab omnibus Scholasticis merito expoditur, ut eo loco diximus:) sed luxuriam, quandam spirituale, quae in nimia quadam dilectione, aut cupiditate consistit. Haec est sententia Scoti, quam aliter refert Caiet. in hoc articulo tamē, quam ipse refert, est Gabrielis, quam inferius asseremus. In cuius opinionis confirmationem, & explicationem notat ipse Scotus in ea quaest. §. In ista questione, doctrinam receptam à Gabriele loco inferius allegando, in actibus voluntatis esse duplicem amorem, alterum concupiscentiae, qui versatur circa rem & bonum, quod alicui volumus: alterum amicitiae, qui respicit personam, cui volumus bonum. Subiungit autem, amorem concupiscentiae procedere ex amore amicitiae, rationem ex causa priori. Haec nota praemissa, inquit Scotus, primum Angeli peccatum fuisse nimium amorem amicitiae, quo seipsum dilexit, hoc est, nimiam quandam sui ipsius complacentiam. Probat autem: quia nimius amor amicitiae non poterat esse erga Deum: nam Deus diligere non potest immoderate ex nimia intentione: hic enim amor debitum modum excedere nequit: neque alio modo potuit esse immoderatus. Verisimile autem est, Angelum non dilexisse alium: praeter seipsum: ergo primum peccatum fuit nimius amor amicitiae, quem placuit Scoto vocare

Similitudo im-
rellektus est
à Caiet.

Ratio Scoti.

care luxuriam spirituale. Subdit deinde, ex hoc amore amicitie inordinato ortum fuisse amorem etiam concupiscentie inordinatum, quo sibi concupiscit aliquod bonum ultra modum debitum: hunc autem fuisse amorem beatitudinis.

Caletanus quidem in hunc articulum censet, Scotum in ea fuisse sententia, ut existimaret primum peccatum Angeli fuisse superbiam in illo affectu immoderato amoris amicitie: secundum vero peccatum luxurie propriæ fuisse in amore illo concupiscentiæ. Sed reuera Scotus dixit utrumque peccatum, & amoris amicitie, & concupiscentiæ fuisse primum peccatum luxurie, non superbie propriæ, communi tamen quadam ratione superbiam dici posse, ut legenti constare potest ex illo, §. *Quantum ad secundum*, & in illa solutione primi argumenti. Quævis enim dicat Scotus, peccatum illud fuisse præsumptionis: tamen id non concedit, quatenus præsumptio dicitur speciale peccatum superbie: sed generali quadam ratione, prout nimius amor sui dici solet peccatum præsumptionis. Cum vero in eo §. circa medium illius dicit, primam speciem superbie, quæ dicitur se alijs præferre, sed in appetitu excellentiæ in se, hoc est propriæ dignitatis in se: non intelligit, eam esse propriam speciem superbie, sed connumerari inter gradus superbie, licet sit superbiam secundum rationem communem & generalem, ut plane concedit in eo §. & in illa solutione 1. Hæc est Scoti sententia fideliter relata, quantum ex illo colligere potui.

Fundamenta
Scoti.

Fundamenta vero illius hæc sunt. Primum quidem peccatum illud angeli non fuisse peccatum superbie propriæ dictæ, probat: quia eiusdem rationis est nimium amare seipsum amore amicitie, & nimium amare alium eodem genere amoris: sed nimium amare alium, non est peccatum superbie: ergo nec amare nimium seipsum. Præterea probat, quia peccatum superbie ita est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ut feratur in excellentiam, non absolute, sed relate ad alios, quibus aliquis antecellere cupit: atqui Angelus non appetiuit excellentiam relate ad alios, sed excellentiam absolute in seipso: ergo non peccauit peccato superbie propriæ. Ex quibus rationibus plane colligitur, nunquam sensisse Scotum, peccatum primum Angeli fuisse peccatum superbie propriæ dictæ, sed communi quadam ratione.

Deinde ostendit, peccatum angeli fuisse peccatum luxurie, quia hoc genus peccati consistit in nimia delectatione, qualis etiam solet esse, quam quis capit ex speculatione alicuius conclusionis geometricæ, quod quidem peccatum ipse vocat luxuriam spirituales delectationis. Neque obstat, quod ipse Scotus in ea fuisse opinione quam retulimus. Nam argumenta illius solum dissoluit, ut defendat peccatum illud fuisse superbiam, non propriam & peculiari ratione, sed communiter tantum: & ostendit, nihil contra hoc argumenta prædicta probare, ut notat Lichetus loco inferius allegando. Quare solum concedit, prædicta argumenta probare, peccatum angelorum non fuisse superbiam propriam & peculiari ratione: non tamen non fuisse superbiam communiter dictam. Hanc vero fuisse mentem Scoti, colligi-

tur ex eodem in questionibus reportatis in 2. d. 6. quæst. 1. circa finem, ubi ita plane habent sententia eius. Sic etiam intellexit Scotum *Regula in Regula*, 2. distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. præsertim §. *Ad primum diceretur*, in solutione 3. quam opinionem licet sub dubio ipse relinquat, allerit tamen defendi posse. Lichetus etiam eadem dicit q. 2. art. 2. eodem modo. Sententiam sequutus est *Hales in q. 2. 3. cum ait*, peccatum angelorum posse appellari peccatum libidinis, quatenus seipsum nimium dilexerunt, sed quatenus propriam excellentiam concupierunt, posse vocari peccatum superbie, imo etiam vitium ingratitudinis.

Secunda opinio sit *Gabriels in 2. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. qui eodem fere modo dum Scoto docet*, primum peccatum ordine causa fuisse nimium amorem amicitie erga seipsum, secundum vero peccatum ordine causa fuisse peccatum concupiscentiæ, quo sibi angelus nimium desiderauit beatitudinem. In eo autem solum differt ab Scoto, quod allerit primum illud peccatum amoris amicitie erga seipsum, fuisse superbie, non communiter dictæ, sed specialis ab auaritia, & ab alijs specie diuersum. Nec obstat quod allerit in tertia conclusione, peccatum illud reducat peccatum superbie, quo videtur insonare, non esse superbiam propriam & directam sed (vt aiunt) indirectam: hoc inquam, non obstat: nam ex ipse postea affirmat, peccatum illud fuisse peccatum superbie specialis. Differt etiam *Gabriel ab Scoto*, quia *Gabriel* conclusione 4. ait, amorem illum concupiscentiæ, qui fuit secundum peccatum ordine causæ, fuisse peccatum luxurie communiter dictæ, prout conuenit cuiusque appetitui immoderato delectationis carnalis, siue spiritualis: Scotus autem solum dixit, esse peccatum luxurie delectationis spiritualis: in quo meo iudicio parum, aut nihil differunt.

CAPUT II.

Sententia Scoti, & Gabriels impugnetur.

NON erit difficile, opiniones Scoti, & Gabriels manifeste refellere. Primum quidem rationibus Caletani, quæ contra utramque eodem modo pugnant, deinde peculiari ratione, quæ contra Scoti sententiam vim habet. Primo igitur arguit Caletanus art. præcedenti §. *Ad secundum dubium*, contra communem utramque opinionis fundamentum: quia nunquam inuenitur alius actus amoris amicitie, qui sit pura complicitas alicuius personæ, nisi admixtum habeat affectum concupiscentiæ, quo ametur aliquod bonum personæ, siue illud bonum distingatur repleta à personâ, cui amatur, siue sola ratione apprehendatur ut bonum illius: siue sit futurum bonum, siue præsens. Neque vero solum vnus amor sine alio reperiri nequit: verum etiam actus diuersus, sed in eodem individuo actu amoris inuenitur verusque respectus ad rem concupitam, ratione cuius dicitur amor concupiscentiæ: & ad personam, cui volumus bonum, ratione cuius dicitur amor amicitie, ut rectè docet idem *Caletanus*, 1. q. 2. art. 4. & *sancti Thom. supra q. 60. art. 3. & nos in eo artic. 4. & 3. lib. de adoratione disput. 1. capit. notauimus*. Ratio vero est manifesta nam amare vniuersæ debetur ab *Aristotele* 2. *Rhetoricorum* capit. 4. hoc modo

Est velle alicui bonum: in quo quidem actu necesse est utrumque respectum includi, ut manifestum est. Porro autem nullum posse esse amorem complacentiae alicuius personae, nisi ei velimus bonum, vel eandem personam ut delectabilem, aut utilem nobis velimus, quisque experimento cognoscere facile potest: omne enim, quod placet ut bonum placet: omne autem bonum quod placet, alicui bonum est: ergo omne bonum placet ut bonum alicuius, ac proinde in omni complacentia duplex ille respectus includitur. De quo etiam dicemus 1. 2. q. 1. a. 1. contra eundem Gabrielem, & Ockum. Male igitur Scotus & Gabriel tanquam duo peccata, & duos actus enumerant amorem amicitiae, & concupiscentiae.

Secundo praedicti doctores, cum asserunt, amorem amicitiae comparari cum amore concupiscentiae, sicut comparatur amor finis cum amore mediolorum, manifeste decipiuntur, ut latius ostendemus 1. 2. quaest. 1. art. 1. Nunc vero sic demonstrato: persona, cui bonum aliquod volumus, est finis cui: bonum autem, quod ei volumus, si sit bonum honestum, aut delectabile, est finis cuius gratia: si enim est concupitum personae gratia sui, & non gratia alterius boni: si autem cui, & finis cuius gratia, non se habent sicut finis, & medius, sed media sunt bona vilia ad finem cuius gratia: finis autem cui, necessario coniunctus est finis cuius gratia, sicut respectus amoris amicitiae cum respectu amoris concupiscentiae, eo quod nullus sit finis cuius gratia, nisi respectu alicuius personae, cui concupiscitur: quia omne bonum honestum, aut delectabile, quod solum habet rationem finis, alicui est bonum honestum, aut delectabile.

Tertio, ut recte arguit Caietanus, etiam si amor amicitiae, & concupiscentiae essent duo actus amoris diversi: tamen non essent duo peccata diuersae speciei: amor enim ille amicitiae, quo Angelus seipsum diligit sola sui ipsius complacentia, nisi sibi aliquod inordinatum bonum vellet, aut desideraret, quantumcumque intensus esset, non esset peccatum (nam quae malicia esse potest ex obiecto in pura ipsius complacentia?) Porro quoties affectus aliquis ex obiecto malus non est: ex eo solum quod intensior fiat non potest esse malus: sola enim intensio non potest tribuere primam malitiam, sed praecedentem tantum augere potest: ut ex communi sententia ostendemus, 1. 2. quaest. 18. artic. 11. quocirca licet in omni peccato sit amor amicitiae & concupiscentiae, quia quous affectu peccati desideramus, aut volumus nobis, aut alijs bonum aliquod contra rationem; nihilominus non reperitur duplex species peccati, aut duplex peccatum, alterum in respectu amicitiae, alterum in respectu concupiscentiae: sed ex ipso bono concupito, & amore, quatenus est concupiscentiae, debet considerari species peccati in affectu.

Quarto, nescio quo fundamento hi Doctores dicant, in quouis genere immoderate delectationis reperiri peccatum luxuriae: nam quamuis delectatio in venereis sit luxuria: in cibo, & in potu non est luxuria, sed gola in appetitu vero laudis est peccatum inanis gloriae: in appetitu autem excellentiae est superbia: in malo proximi odium. Praeter has autem species ego non video, quae species alia luxuriae excogitari possit. Porro

delectatio de scientia, ut de geometrica demonstratione, de qua videtur loquutus Scotus, inepre dicitur luxuria: sed si illa aliquando peccatum est, vel similis alia delectatio de scientia, quia est contra rectam rationem, & contra modum debitum sciendi: ad peccatum curiositatis contra virtutem studiositatis ex obiecto pertinebit, de quo vicio agit sanctus Thomas 2. 2. quaestione 167. s. Thomae, quod si scientia sit secundum rectam rationem, & secundum rectum modum addiscendi: nullum erit peccatum, quantumvis crescat delectatio, nisi sit causa, & occasio alterius peccati, ut inanis gloriae, aut omittendi praecipuum: tunc autem nullam aliam habebit, quam euentus. Quamobrem quamvis negare non possimus inordinatam delectationem esse veluti genus ad varias species peccatorum, sicut est tristitia ad ahas, quod Caietanus nescio, qua ratione renuit concedere: inepre tamen haec ratio communis dicitur ab his doctores luxuria: aut certe, si eis placuit abuti voce, debebant assignare primum angeli peccatum non secundum rationem genericam, sed in aliqua specie determinata, ut reuera Scotus & Gabriel voluerunt haec autem esse non potest luxuria etiam spiritualis delectationis: quia nullum in ea est peccatum luxuriae specie distinctum ab alijs, quae secundum speciem communiter assignantur.

Ceterum contra Scotum peculiaris ratio e argamus, & ostendamus ei, amorem excellentiae proprie esse peccatum superbiae non communiter dictae, sed proprie: quamvis excellentia propria non appetatur relate ad alios, sed absolute, quod sane libenter fateretur Gabriel, & haec ex parte ipsi Scoto aduersatur. Ratio autem est huiusmodi: superbia proprie in eo consistit, ut quis appetat sibi maiorem gradum excellentiae, quam sibi conveniat, aut convenire possit secundum rectam rationem, sicut tradit sanctus Thomas 1. 2. q. 163. artic. 1. haec autem considerari potest in se absolute sine respectu ad alios, quibus praesse cupiat. Qua ratione Gregorius 23. libro moralium capit. 4. alias 7. inter alios modos superbiae primo loco recenset praesumptionem, quae contingit cum quis se existimat bonum, quod habet, a se habere, & in eo sic apprehenso gaudet, seu delectatur. Secundo cum pro suis meritis illud accepisse putat, atque in eo sibi complacet; in quibus duobus modis non est expressa relatio excellentiae ad alios, quibus aliquis praesse desideret. Male igitur Scotus negat peccatum superbiae in appetitu immoderate excellentiae sine relatione ad alios, quibus aliquis praesse desideret. Neque obstat ijs, quae retulimus ex Scoto, quod ipse Scotus concedat in hoc appetitu excellentiae absolute peccatum superbiae, & praesumptionis, hoc enim solum concedit secundum rationem quamdam genericam & communem, non secundum specialem, quam nos contendimus contra ipsum probare. Et haec satis contra opiniones Scoti, & Gabrielis. Ex quibus etiam confutata manet ea, quae sequutus est Holcot, quatenus cum praedictis concordat. Nam quod ipse addidit, peccatum Angelorum fuisse peccatum ingratitudinis, quia non reddiderunt Deo gratias pro beneficijs, sequenti disputatione confutabitur.

Superbia potest aliquid nulli fieri: nulla paratio cum alijs

Gregori.

12.

est, res omnes magnitudinē & robore praestantes despiciat, & quasi inferiores videri sequitur. *ipse est rex super vniuersos filios superbiae*, hoc est, inter robustos & potentes ipse principatum tenet. Loquitur autem praecipue de beluis marinis, inter quas ipse Behemoth dominatur, vt Hebraei exponunt, quae expositio consonat translationi 70. quae sic habet, *Rex omnium, quae sunt in aquis*: quod si haec verba de diabolo per accommodationem acciperentur: ex ipsis probati non posset, primum eius peccatum fuisse superbiam, sed ipsum esse regem & principem inter omnes superbos: nemo enim negat, nunc daemone peccare peccato superbiae, & omnium superbiorum esse superbissimum.

18. Tertium testimonium ab Scholasticis doctoribus admodum celebratum, est Isaia 14. *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo, in caelum conscendam super astra Dei exaltabo solum meum, sedabo in monte testamenti: in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo? Quem locum recentiores non pauci intelligunt de casu diaboli per peccatum superbiae de caelo, in quo creatus fuit, non tamen eodem modo omnes illum explicant. Nonnulli etiam Scripturae interpretes praedictum locum exponunt: ita de Lucifero, vt de nullo alio secundum sensum literalem intelligi possit. Nam si de aliquo alio possemus interpretari, maxime de Nabuchodonosore Rege Babylonis; de hoc autem intelligi non posse, probant: quia Rex ille non cecidit de caelo, nec dixit in corde suo, *Conscendam in caelum, super astra Dei exaltabo solum meum*, sicut in eo testimonio dicitur de Lucifero. Hi recentiores in hac explicatione sequuti sunt Originem libro 4. Periarcho. cap. 2. qui plane docet, praedicta verba Prophetiae in nullum hominem posse conuenire, sed solum in daemone, & Tertullianum libro quinto, aduersus Marcionem capite 17. qui affirmat, praedicta verba Prophetiae in nullum alium magis, quam in daemone quadrare: reliqua vero, quae etiam difficile videbantur daemoni conuenire, hoc modo explicant, vt illud, *in lateribus Aquilonis sedabo*, significet in superiori parte caeli sedabo; *in monte vero testamenti*, denotet in Ecclesia Dei, in qua voluit daemone, vt Deus adorari, & coli. Neque solum praedicti Doctores volunt locum citatum iuxta literam de daemone solum intelligi, sed etiam totum illud caput de nullo alio posse explicari, quam de Lucifero, & de redemptione facta per Christum; de redemptione vero Babylonica nullo modo. Ceterum interpretatio haec adeo est sine fundamento, vt in eius confutatione indignum videatur plurimum immorari; cum ceteri omnes Doctores tam antiqui, quam recentiores plura saltem illius capituli, aut omnia de Rege Babylónico intelligant; dicitur enim in illo capite paulo antea, & erit in die illa, cum requiem dederis tibi Dominus a labore tuo, & a confusione tua, & a seruitute tua dura, qua antea seruisti, sumes parabolam contra Regem Babyloniam, & dices, &c. parabola vero erat, Quomodo cessauit exaltor, &c. quis igitur negabit, Prophetam eo capite secundum literam loquutum de Rege Babylónico, & de redemptione Babylonicæ captiuitatis: tamen si in figura significauerit redemptionem captiuitatis peccati factam per Christum? Historia enim redemptionis captiuitatis Babylonicæ*

Vasquez in 1. p. tom. 2.

adeo manifesta est, vt indignum plane videatur, negare Isaiam eam praedixisse.

Ceterum illa verba superius allegata ex capite 14. Isaia, Quomodo cecidisti, &c. plerique Patres intelligunt de Lucifero, ita Origenes & Tertullianus allegatis, idem Orig. lib. 1. Periarcho. cap. quinto, & libro octauo in Epistolam ad Romanos in illud capite decimo, Dico ergo numquid non offenderunt. Et Gregorius libro primo Epistola tertia, quae nunc ponitur in ordine 40. Eusebius de preparatione Evangelica lib. quarto, capite nono, Athanasius libro primo, de passione Christi & cruce, Ambrosius in illud Psalmi 118. Increpasti superbos, & in illud Psalmi, Suscipe seruum tuum in bonum, Prosper in libro, cui titulus est, dimidium temporis, cap. 1. & 2. Bernardus in serm. de S. Benedicto Abbate, & ser. 2. in octauam Paschae, & alibi saepenumero. Hi tamen Patres, exceptis Origine & Tertulliano de quibus supra diximus, ita testimonium hoc de Lucifero interpretantur, vt non negent etiam de Rege illo Babylónico intelligi. Augustinus vero libro tertio de doctrina Christiana cap. 73. secundum regulam septimam Ticonij, quam ipse probat, quae est de diabolo, & eius corpore (est enim diabolus caput impiorum) testimonium hoc exponit de Lucifero sub figura & persona Regis Babylonis, cuius ipse Lucifer erat: vt quemadmodum ea, quae conueniunt corpori Ecclesiae tribuuntur Christo secundum primam regulam eiusdem Ticonij, eodem modo, quae conueniunt Regi Babylonis tanquam membro diaboli, ipsi quoque diabolo tribuantur. Illud tamen quod in eodem capite Isaia sequitur secundum lectionem Augustini, *Contritus est in terra, qui mittit ad omnes gentes: iuxta vulgatam autem: corruisti in terram, qui vulnerabas gentes*, explicat ipse Augustinus de corpore diaboli solum, non de ipso diabolo. Cum Augustinus sentiant Hieronymus, & Haymo in illum locum, qui ad litteram de Rege Babylonis, per figuram vero de Lucifero intelligunt, idem omnino docuit idem ipse Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram cap. 24. ubi ex professo probat, verba illa dicta sub figura Regis Babylonis, conuenire Lucifero ratione sui corporis, & Author libri primi de mirabilibus Sacrae Scripturae, apud Augustinum in tertio tomo, capite secundo, plane docet, ex illo loco non probari casum diaboli, & occasionem illius, quia historica narratio de Rege Babylonis intelligitur, per allegoriam vero inquit, & figuram de corpore ad caput transferri. Hieronymus vero de Lucifero exponit hoc testimonium tantum per figuram, sed parabolam: quia dicit Propheta, *Sumes parabolam istam*, vt supra recitauimus. Denique Haymo mystico tantum sensu haec interpretatur verba, nec tamen Hieronymus, nec ipse Haymo dicit, talem sensum figuratum expressum a Spiritu Sancto. His omnibus annotationibus Cyrillum in illud caput Isaia in illa verba, *tu autem dicebas, &c.* qui cum totam prophetiam de Rege Babylonis explicuisset, subiungit, *Adaptare autem quis poterit, & quidem valde merito, haec, quae dicta sunt Historice, capiti eius, qui omnis comminuit, diaconi inquam principi malorum, nempe & in hoc sequutus regulam Ticonij, quam & Augustinus amplexus est. Ex quibus patet ex hoc loco secundum literam & Historiam explicato non colligi peccatum Luciferi, sed per quoddam genus applicationis, seu figurae, vt praedicti Patres docuerunt, & Adamus in Adamus*

L11

eum

19.

Gregorius.
Eusebius.
Athanasius.
Ambrosius.
Prosper.
Bernardus.
20.

Ticonij.

21.

22.

Psalm. 68.
2. Paral. 2.

eum locum notavit, quia docte contra Hieronymum admonuit, hunc sensum figuratum, quo hæc verba applicamus Lucifero, non recte colligi ex eo, quod dicat Propheta, *Sumes parabolam &c.* Nam parabola in Scriptura non semper significat similitudinem continentem sensum parabolicum: sed aliquando dicitur fabula, seu proverbium vulgi in derisum Psal. 68. *Fatus sum illis in parabolis*: hoc est, me loco Proverbij utebantur in opprobrium meum, secundo Paralipomenon septimo, *Domum, quam edificavi, tradam in parabolam*. Quem admodum 17. dicitur, *posuit me in proverbium vulgi*. Eodem sensu dixit Propheta Ezechiel, *Sumes parabolam istam contra Regem Babylonis*. Fuit enim Rex Babylonis in derisum omnibus: cum de ipsius potestate populus captivus fuit liberatus, & exsultantes omnes dixerunt, *Quomodo cessavit exaltor?*

23.

Reliquum est, ut paucis ostendamus, singula verba prophetice recte quadrare in Regem Babylonis, nec vltimum esse, quod in ipsum convenire nequeat. Nam si aliqua essent, quæ de illo intelligi non possent maxime illa, *Conscendam in calum, super astra Dei exaltabo solium meum, sideo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*. Hæc autem, ut recte exponit Adamus, Regi Babylonis mirifice conveniunt. Primo quidem apte dictus est Lucifer, hoc est, nuntius auroræ. Est enim Lucifer stella illa matutina, quæ claritate plurimum ceteris antecellit. Hoc autem nomine per metaphoram Propheta compellat Regem Babylonis, ad deponendum splendorem dignitatis eius, sicut si Regem aut Imperatorem clarissimum Solem, aut si quis Europæ, aut alterius regionis appellaremus. Nec quicquam huic expositioni obstat, hæc verba per metaphoram usurpari. Nam si daemones eadem applicaremus, per metaphoram solum deberent intelligi. Sensus igitur est, Tu, qui es Rex Babylonis, qui eras clarissimus instar Solis, & lucidissima stella matutina, cecidisti de regno & maiestate, more stellarum, quæ hominibus de cælo decedere videntur. Illud vero, *in calum conscendam*, Adamus existimat dictum per hyperbolam, sicut & illud, *Ascendam super altitudinem nubium*: ac si diceret Rex ille, ego quoad fieri poterit, contendam solum regni mei exaltare. Cum vero dicitur, *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, nuntiavit illius Regis cupiditas regnandi significatur: cupiebat enim occupare arcem Hierusalem, quæ dicebatur Sion, quam ideo appellavit montem testamenti: quia erat in monte, in quo erat templum, in quo erat arca testamenti, cumque illa esset ad septentrionalem plagam: recte etiam dicitur, *in lateribus Aquilonis*. Sicut enim de eadem civitate Sion dictum est Psalmo quadagesimo septimo, *Fundatur exultatione universa terra mons Sion, lateribus Aquilonis, civitas Regis magni*. Vbi illa omnia ponuntur per appositionem, ut epitheta civitatis Sion.

24.

Locum Ezech.
28. illustra-
t.

Postremam testimonium sit Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus in decore in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topacius, Iaspis, &c. & infra. Et foramina tua in die qua conditus es, preparata sunt: tu Cherub extensus & protogens: posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in vis tuis a die conditionis tue, donec inuenta est iniquitas in te: describes autem Propheta genus*

peccati, & iniquitatis eius ait, in multitudinem iniquitatis tue repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti. Et infra, *Et elevatum est cor tuum in decore tuo, &c.* quem locum de daemone interpretatur Gregorius libro 23. moral. cap. 18. alias 24. & 25. Tertullianus libro secundo contra Marcionem capite 10. Origenes libro primo revarichen capite quinto, immo Tertullianus, & Origenes ita de diabolo capiunt, ut de nullo hominum ad literam intelligi posse arbitrentur, quia nullus homo in paradiso deus natus sit, inquit Tertullianus, & quia ea verba omnia, quæ recitavimus, in vltum hominum convenire nequeant. Verum Ambrosius lib. de paradiso 12. Hieron. & Theodoretus in eum locum recte, ipsum explicant secundum literalem sensum de principe Tyri, figurate autem de diabolo quod suadent nobis verba initio capitis posita, *Fili hominis dicitur principi Tyri*. Hæc dicit dominus Deus, eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedisti in corde maris: cæcis homo & deus & dedisti cor tuum quasi cor Dei, &c. iterum: *Fili hominis inuenerunt super regem Tyri, & dices, hæc dicit Dominus, in signaculum similitudinis plenus sapientia, &c.* cetera, quæ supra recitavimus. Quæ sane verba adeo manifesta sunt, ut nullus nisi temere, negare possit, Prophetam loqui cum principe Tyri. Nam si cum eo loqui voluisset desecio quo alio modo id clarius significare potuisset. Cumque cetera, quæ initio citavimus, optime de ipso Rege Tyri interpretari possimus, non est cur ad metaphoras confugiamus, solum de diabolo & Lucifero prædicta verba intelligentes. Id autem fiet manifestum, si explicaverimus singula verba sequentia, quæ difficultatem videntur habere, de ipso principe Tyri. Primo cum dicit Propheta, *Tu signaculum similitudinis*, ipsum extollit, ut deinde inferior appareat. Appellat autem signaculum, hoc est, signum, & exemplar ad Deo expressum, ut ostendat eius potentiam, & magnitudinem, & sapientiam. Secundo dicitur, *In paradiso Dei fuisti*, hoc est in loco deliciarum, & in magna rerum abundantia: quæ verba potius homini, quam Angelo secundum proprietatem conveniunt: nam Angeli non fuerunt in paradiso, sed in cælo constituti. Tercio, *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, hoc est, ornatus eras lapidibus & vestibus pretiosis. Quarto, *Et foramina tua in die, qua natus es, preparata sunt*, Januæ tuæ, aut vestium incisiones a die, qua natus es, gemmis iungebantur, & ornate erant, aut intelligit foras, quibus aurum, & gemme repletae erant. Quinto, *Tu cherub extensus & protogens*, hoc est, tu eras, quasi Cherubim, qui alius arcem testamenti protegebat. Diluxas enim potentiam tuam, & nomen tuum longe propagabas, & urbem tuam quasi arcem testamenti ab hostibus defendebas alius potentia tua. Secundo, *Posui te in monte sancto Dei*, hoc est, eras in insula tua Tyri, ac si posuisses sicut Cherubim in monte Sion. Sapius enim in Scriptura suppleri debet particula, *Sicut*, vel particula, *Quasi*, vel per montem sanctum Dei intelligitur quodammodo insulam Tyri, quod magis sequentibus congruit. Septimo, *In medio lapidum ignitorum ambulasti*, hoc est, gemmis fulgentibus ornatum ambulasti, hoc est, gemmis fulgentibus ornatus. Octavo, *Et cuncti te de manu Dei perdidisti*, id Cherub, hoc est, de manu tuo perdidisti te, id Cherub, hoc est, de manu tuo perdidisti te, & de medio gemmarum, quibus ornatus incedebas, decuravi te, id Cherub.

Catherin

Iacob. Va

Nolan:
Alvanus
Bernard

la vero priora verba, *Ex quod eleuatum est cor tuum & dixisti, Deus ego sum*, per hyperbolen dicta intelliguntur, ad exprimentum nimiam illius principis superbiam, & arrogantiam, vt se tanquam Deum videretur æstimare: non autem, quod similia verba dixerit. Cum igitur pro nobis habeamus testimonia patrum, quos retulimus, & verba omnia in ipsum principem Tyri apte conueniant absque illo fundamento negabimus de illo esse intelligenda, præsertim cum initio capitis, & deinceps ad ipsum principem Propheta verba dixerit.

His omnibus adde *August. libro i. de Genes. ad lit. cap. 2. §. vbi ex professo contendit probare, prædictum testimonium non posse demone intelligi: nec inde colligi, angelos fuisse prius in gratia Dei creatos: & Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 3. §. vbi de hoc testimonio ita loquitur. Legimus enim, ad principem Tyriorum dictum esse diuinis, quod & necessaria quadam ratione diabolo accommodare persuadetur. Dixit necessaria quadam ratione, propter maximam similitudinem inter vtrumque casum, & superbiam. Quare si prædictum testimonium de Lucifero debemus intelligere, per accommodationem, aut figuratum sensum intelligendum est.*

DISPUT. CCXXXIII.

An peccauerit angelus appetendo vnionem hypostaticam cum Deo, aut eam inuidendo homini.

Angelum appetitu vnionis hypostaticæ, & inuidia eius peccasse recentiores autumant. cap. 1.

Angelum potuisse peccare appetitu vnionis, non tamen peccasse, verior opinio fert. cap. 2.

CAPVT I.

Angelum appetitu vnionis hypostaticæ, & inuidia eius peccasse, recentiores autumant.

Explicato iam præcedenti disp. genere peccati, quo Angelus primum cecidit, restat, vt inuestigemus id, cuius immoderato appetitu in superbia peccatum prolapsus est. Quod sane genus peccati cum in appetitu propriæ excellentiæ vera modum debitum consistat: non vno, sed multis modis accidere potuisse, nullum dubium est. Quo autem modo contigerit, nemo ita facile definire potest. Singulos igitur modos percurrentes, duo ostendemus: primum, quidam appetere Angelo possibile fuerit: nam & circa hoc non leuis controuersia interdum occurret. Deinde cuius excellentiæ appetitu primum peccauit.

Circa controuersiam autem propositam variæ fuere Theologorum sententiæ. Prima sit eorum, qui dixerunt, Angelum non solum peccare potuisse, sed etiam peccasse appetitu vnionis hypostaticæ, quo desiderauit suam naturam diuinæ personæ vniri, simulque inuidia vnionis humanæ naturæ cum verbo, deliquisse. Huius opinionis authores fuerunt *Catherinus in opusculo de gloria bonorum angelorum, & lapsu malorum, & in illud Gen. 3. Serpens calidior erat. Iacobus de Valentia in Psalm. 82. explicans illa verba, Surge Deus, iudica terram, &c. Viguerius de institutionibus Theologicis cap. 2. §. 2. versiculo 15. allegatur quoque in hanc sententiam à quibuldam Iacobus Naclantus in Epistolam ad Ephesios, & Alexander tertia parte, questione secundam. 13. & quod caput est, Bernardus sermone decimo. Vasquez in 1. parte Tom. 2.*

primo in Cantica. Verum Alexander, & Bernardus illis locis solum docent Luciferum inuidia vnionis naturæ humanæ cum verbo, peccasse. Contingere autem potuit, vt Angelus inuideret vnionem hypostaticam homini, etiam si eam sibi non appetuerit. Nam inuidia contingere potest solum ex eo, quod quis tristetur de alterius bono, etiam si illud sibi non appetat, sed aliunde nimium in sua excellentia propria delectetur, desiderans eam à maiori alia non minui: posset igitur Angelus, desiderans suam propriam naturam, & excellentiam omnibus hominibus tanquam magister præesse, inuidere homini dignitatem ex vnione hypostaticæ concessam: & ita solum, inquit Bernardus, indigne tribuisse dæmonem mysteriū Incarnationis, & dixisse, *Vt quid perdis hoc vnienti?* ac si diceret frustra pro hominum reparatione Verbum diuinum fuisse incarnandum. Quare in eodem sermone solum affirmat Bernardus, Angelum appetisse præesse hominibus tanquam magistrum, & ideo dixisse, *vt quid perdis hoc, &c.* refertur etiam ipse Bernardus in sermone primo de aduentu Dei: neque ibi tale docuit. Solum dixit, hominem & angelum peccasse appetitu superbo æqualitatis scientiæ, & sapientiæ Dei: quæ cum filio attribuitur, inducit Bernardus ipsum filium Dei dicentem, *Si propter me orta est tempestas, projice me in mare*, nempe humanæ carnis, quam assumpsit. Nec quidquam aliud docuerunt *Wilhelmus Parisiensis in lib. de vniuerso prima parte secunda parte principalis à cap. 106. vsque ad 110. & Dionysius Carthusianus in secundum distinct. 5. quæst. 1. qui pro hac sententia referuntur*, quam id, quod dixit Bernardus in sermone illo decimo septimo. Demum citari solet in eadem opinionem, Rupertus libro 8. in Ioan. nem longe à fine, in illud capite 8. *ille homicida erat ab initio*. Hic tamen solum inquit, diabolum peccasse peccato odij contra Christum, statim atque nouit mysterium Incarnationis, & subinde mortem illius machinatum fuisse, ac propterea dictum fuisse homicidam ab initio.

Hæc sententia nonnullis recentioribus Theologis probatur, atque in Scholis non parum plausibilis est. Confirmari autem potest Scripturæ & Patrum testimoniis. Primum etiam colligit Catherinus ex illo ad Hebr. 1. *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum, inquit, & adoret eum omnes Angeli eius*. Dicit Paulus, *Cum uiderem, quia semel iam Pater æternus introduxerat Christum, & proposuerat Angelis adorandum, cum ab initio ipsis hoc mysteriū reuelauit*. Iterum ergo Christum introduxit Pater æternus cum reuera eum misit, vt incarnaretur. In illa ergo priori propositione, & reuelatione Lucifer, & Angeli eius nolentes Christum adorare, & ei se subicere, peccarunt. Deinde hac ratione probari potest: ex communi Patrum doctrina constat, dæmonem peccasse inuidia hominum: probabilius autem est, peccasse antequam homo crearetur, vt notauimus ex sententia Isidori, Cypriani, & Bedæ disp. 229. cap. 11. Neque existimare debemus, Angelum inuidia excellentiæ humanæ secundum illius propriam naturam peccasse. Quæ enim ratione inuideret dæmon hominem fuisse creatum ad imaginem & similitudinem Dei? sic enim facilius inuideret alteri Angelo: ergo verisimilius est peccasse dæmonem inuidia dignitatis humanæ, quam præuidit euehendam ad dignitatem

Catherinus.

Iacob. Val.

Naclantus.

Alexander.

Bernardus.

Vasquez.